

Weichbild magdeburski w układzie śląsko-małopolskim.**Wersja sandomierska**

Rękopis Rosyjskiej Biblioteki Narodowej w Sankt Petersburgu, sygn. Lat. Q II 157, tekst 1, k. 18va–19ra

Odczyt: Maciej Mikuła

Artykuł 108 [Gn. 100]

[108] Nunc attendatis super eo, si scultetus aliquem inpedierit in sua querela et sibi iusticiam non fecerit, et hoc sibi iniuste recusat. Si pro eo coram castellano aut advocato impulsatus fuerit cum testibus, extunc cum testibus ipsum evadere oportet. Cum qualicunque testimonio super iudicem querulatum fuerit, tali ipsum iudicem testimonio evadere oportebit, sive sint scabini aut alii astantes iudicio. Sin autem hoc coram iudicio bannito actum fuerit, tunc melius potest vinci testibus iure, quam ipse cum testibus evadere possit. Sin autem vir cedere noluerit a testimonio et ipsum inculpare pro suo scitu, de quo unica manu evadere potest. Quando querimonia [k. 18vb] coram advocato super ipsum facta fuerit pro hac causa, pro eo respondere tenetur sine mora, ita quod ibi sit iudicium bannitum, quia ipsum oportet sibi esse presentem, nisi legale inpedimentum ipsum occupaverit. Quod inpedimentum statim probare oportet. Si hoc non probaverit et non nominaverit, et per iusticiam facere denegaverit se excusare de sua iniuria, quam exercuit, et se ad iusticiam exhibere [debet], extunc condempnatur advocato in decem talentis idem scultetus et illi suum debitum, de quo denegavit, facere iusticiam, et medio quo illam non solvit, aut se iure excusaverit iudicio proximo, extunc nullus esse iudex potest, nisi se ex hac culpa exemerit, secundum ut est praemisum. Sin autem pro facto criminali, pro quo iudicium facere recusavit, sicut pro vulneribus aut homicidio, aut furto, aut spolio, aut ecclesie violencia, aut incendia, aut hiis similia [s], que crimina capitalia tanguntur, idem iudicium super eum, quod super illum ire debuerat, pro eo nec recompensam, nec aliquid facere potest, si in hiis vincitur, ut iuris est. Sin autem vir pro delicto in captivitatem publicam presentatus [k. 19ra] fuerit ad tenendum iure, si ipsum amiserit aut si evaserit absque sua culpa pro negligencia pro crimine, quod transit ad collum, pro eo integram solvet recompensam. Sin autem pro manu, tunc mediam solvit recompensam, ut hoc ipsum iuramento iurare oportet, si sibi parcere noluerit, quod ipsum absque omni culpa sua evaserit. Integra recompensa facit decem et octo talenta, media talenta [s] facit novem talenta etc.

[hasła: sołtys, skarga, sprawiedliwość, przestępstwo sądowe, uwolnienie od skargi, ławnik, sędzia, odpowiedzialność, przeszkoda, świadek, wójt, skazanie, dług, wina, przestępstwo, kradzież, zranienie, zabójstwo, podpalenie, kara śmierci, zapłata, wynagrodzenie, przysięga, kościół]